



Tom III
Mijakaneop Philoby.

[Faint handwritten signature or initials]



107.

109

^{Q.} ^{B.} ^{V.}
QUÆSTIONEM

Phyfico-Astrologicam;

Utrum illa Fluviorum Incrementa & Exundationes, quæ superiori M. Jan-Anni currentis c^o 2^o c^o LI. per superiorem Germaniam, Belgiam, Galliam, ac forte locorum alibi, insolenter contigerunt, causas agnoscant naturales, nec ne?

Liberalis Exercitii gratiâ

publicè ventilandam Eruditis proponunt

M. JOHANNES HANNKE

PRÆSES,

Et

FRIDERICUS VICCIUS


Respondens,

SILESII.

ad diem 26. Julii

Horis matutinis

In Auditorio Minori.



WITTENBERGÆ

Typis, Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LI.

Prefatio.

Vivimus Seculo, quod non expers est rerum *novarum*. Non istis caremus, quæ ab Opinione pendent *Intellectus*. non his, quæ à libertate, aut abusu *Voluntatis*. non illis deniq; quæ merè *naturales* sunt. Quis nescit *Theologicas* inter Vicinas Academias *Disputationes*? Quis in Insula *M. Britannia* illam novam Anglorum *Rempublicam*? Quis deniq; *Aquas exundantes*, quæ superiori *M. Januario* passim per *Germania* fluxerunt agros, prodigiosis brachiis? Cordatis enim nondum effluerunt ex animo; utut fontes *Hornhusani* jam exsiccarint. Cætera non curamus. Non montis in *Thuringiâ* ad *Laucham* locomotionem, seu terræ motum compositum. Minimè verò omnium, quæ plebecula, falsorum tradux, hinc inde ingerit. In examen revocabimus prædictas aquas: non tam quidem, uti profundè agitemus, quàm ut magistrorum magis exercitatis altiùs earundem originem deducendi ansam injiciamus. Primum igitur, quæ ad exponendum *questionis* præsentis *statum* facere possunt, afferemus, aut referemus. Inde de hujusmodi *effectuum* *caussis* generatim quædam differendo præmittemus. Postremò dicta applicare, ac seorsim, quid de *caussis* *harum Exundationum* videatur nobis, verbò edicere tentabimus: sine cujusdam præjudiciò; libero duntaxat philosophandi animò, & veritatem investigandi amore.

THEMA, & Status Questionis.

I. Compendium fortè & summa rei hæc erit. Mense superiori cum primis Januario, *hiemali*, teste fama ac fide publicâ, repentè, citra plerorumq; omnium opinionem, fluviorum contigerunt exundationes; non uno aut altero locò sed per omnem fermè *Germaniam superiorem*, per ipsam *Inferiorem* sive *Belgiam*, per *Italiam*, *Galliam*, fortè & locorum alibi, de quibus nondum constat; & quidem simul velut ac semel & eodem tempore; nec juxta vulgarem mensu-

ram, sed ultra ac *supra* consuetas leges & modum; nec ad paucos dies & septimanam, sed quæ *benè diu* substiterunt; quæq; ipsis adeò locorum accolis *ominosa* videantur. Relata referemus ordine, sed quædam sætem.

II. Auspicamur ab *Albi* flumine, ad quod nostra posita est *Leucoris*. Ita illud, quod scimus, exundarat, ut non pedè daretur efferre extra portam ex illâ parte; ut non tantæ caluviei meminerint incolæ; non, quæ propter ripam posita longâ serie, hinc ex *Bojohæmia* usq; ad *Hamburgum* oppida, vici, pagi. veritas historiæ hîc in confesso.

III. *Mulda*, nec non *Muldavia*, duo inter minores fluvios: quorum ille ex *Variscia Misnia & Saxonie*; hic *Bohæmie* agros percurrentes, uterq; in *Albim* sese mittunt, & ipsi insolenter exundarunt, fatentibus ultrô accolis, imò querentibus.

IV. De *Salâ*, Thuringiæ fluvio, ipso navigabili, idem & vel cum primis ac certò asseveramus.

V. Idem de *Viadro*, Silesiæ immo Germaniæ nobilissimo fluviò, ex Patriâ, fama affirmat.

VI. Cum primis verò de *Mæno*, qui ex monte oritur, dicto *Sichtelberg*; item de *Rbeno* ac *Danubio* multa iterum iterumq; publicâ fide accepimus.

VII. Et quidem de *Rbeno* Basilæa XX. d. Jan. hæc testabatur: *Rhenus hîc tantus, quantus non inde à XX. annis. præteritis item diebus iterum noctu ingens terra motus increpuit: significatio Deo nota. Colonia Agrippina: tantus (sc. Rhenus, fuit) quantus non ab annis XXC, aut pluribus. Francofurtum XXVIII. Jan: tantus, quantus non à seculo. Monasterium I. Febr: tantus, quantus ut alii referunt, non à IV. Seculis. Rursus Colonia V. Febr. Propè urbem aqua capsulas funebres veterum Romanorum, & illorum quidem aliquas plumbeas, repletas ossibus eluerunt, non sine admiratione & stupore spectantium. Spira illam tabulam & scripturam, quâ inundationes, quæ An. M. D. LXXXIX. contigerunt, signata erant, multùm transcendit (Rhenus) &c.*

VIII. De *Danubio* Viennæ XXX. Jan: tanta hîc aqua, quanta non hominum memoriâ. Oppidum *Thulen* (vicinum) ita invasit, ut per delegatos sollicitariunt auxilia, quò omnimodæ illorum ruine preveniatur.

IX. De

IX. De *Vistulâ* ex Prusfiâ Dantisci XXIX. Martii: heri no-
ctu per tempestatem subitanam, (qua ferme totam duravit ho-
ram) *Vistillus*, qui haëtenus frigore erat condensatus, fregit: gla-
cies quidem processit; ceterum quia ex adverso ventus aquam
inflat, haeret illa & crescit: immò sustulit jam vallationes
agrorum, multis inundatis pagis.

X. E Belgii Provinciis hæc: Et è *Gelria* quidem *Arnhem* d.
XXXI. Jan: tanta aquarum in hac regione altitudo, quanta non
antè hac visa; incredibili cum damno provinciarum *Zutphania*,
Transalania, & *Frisia* occidentalis. E Belgio XXIII. Febr:
repentè ex septentrione & ortu (*Nordwesten*) tanta orta sunt a-
qua, quante non nisi A. M. D. VII. fuerunt. Nec dici potest, quan-
tum attulerint damni (Æstimant aliàs illud tanq. pluribus
auri tonnis non reparabile, hominum vero suffocatorum
amplius quàm ipsa XXIV. millia numerant): rupti lacus &
perfossi sunt aggeres per *Hollandiam*, *Brabantiam* & c.

XI. E Gallia hæc: *Lutetii Parisiorum* d. XXII. Jan: sequa-
na tantum crevit, ut plures plateæ contineant aquam. extra ur-
bem etiam plerasq; grandium domos ambit aqua, quasdam &
deturbavit. Ex eodem locò, eodem tempore: non tantum noster
fluvius *sequana* sed plures alii, puta *Ligeris* (*La' Loire*), *Matro-
na* (*Le' marne*), *Mosa* (*La' Meule*), *Rhodanus* (*le Rhosne.*) *An-
degavi* (aus *Angiers*): non describi facies miserabilis potest urbis
hujus & agri, quando quidem fluvii *Mayne* (*meduana*), *Maje-
ne* & *Loir* (*Ligeris*) ita exundarunt, ut edes hujus urbis propè
ad secundam aream constituantur sub aquis, pluresq; adeò &
homines & greges miserè perierint. Et pereundum pluribus longè,
tum inediâ tum frigore, nisi *Archiepiscopus*, & qui paulò subli-
mius habent concives, juvarent annonâ.

XII. Ex Italia hæc: Et quidem d. XXII. ipsius Dec: pluvia
tridua litantopere *Tibris* crevit, ut quæ circa illum sunt loca, o-
mnia cingantur aquis, utq; ingens agris accesserit damnum, quâ
hominum quâ gregum submersiones.

XIII. De ipsâ *Constantinopoli* *Asia*, amicus ad amicum
Hamburgi d. V. Mart: accepimus, scripsit, quòd & horrendæ
illic (*Constantinopoli*) extiterint exundationes. *Judeus*, qui
Hierosolymis huc advénit, de *Palestina* refert, quod ibidem im-

mensa vis aquarum; multaq; fuerint prodigia undè adeò illi pro-
certo credunt, venturum brevi Messiam suam. Alia de quibus
non liquet loca, sicutò transimus pede.

XIV. Ex hæcenus allatis forte quis ista notari omninò
voluerit: (1.) quòd tot distinctissimis locis idem contigit.
(2.) quòd sententiã ipsorum accolarum tale quid non factũ,
pro varietate locorum, alibi ab annis LXXX. alibi à XL.
alibi à LIX. (3) quòd idem hoc tot locis eòdem pãne tem-
pore contigit. (4) quòd ipsis hoc accolis ominosum videtur.

XV. Proindè hîc disquiritur: I. de Incrementis, & quidè
(1) *fluviorum*: Aliàs enim etiam *fontes* ita nunc crescunt nunc
decrescunt. (2) De Incrementis non quibusvis, sed *notabili-*
bis & planè insignibus: aliàs n. etiã ratione istius, ingens da-
tur latitudo (3.) De Incrementis quæ præter Ordinẽ & *inspe-*
rato ac rarissimè eveniunt: aliàs n. etiam magna incremen-
ta *regulariter* fieri possunt. Exempla adducit *Senec.* non tan-
tùm de *fontibus*, qui senis horis pleni senisq; sicci sint; sed
& de *fluminibus*, quæ *certis* mensibus magna, *certis* angusta
sunt. Ita v. de *causis* philosophatur: *Quemadmodum, in-*
quit, quartana ad horam redit; sic aqua intervalla habent, qui-
bis se retrahant, & quibus reddant. Enim verò minus ille *per-*
fectè reddit causas. Non sufficit dicere: sunt & sub terrã,
minus nota nobis, Jura naturæ, sed non minus certa. Ita
Romano Sapienti dicendum, ut Physico ut *scienti*: sunt &
sub terrã, ut æquè certa, ita æquè *nota* nobis, jura naturæ.
(4) De Incrementis quæ fiunt *hiberno* tempore. Nam sunt
etiam quæ *Autumnali*, sunt quæ *æstivo* fiunt. De *Nilo* Seneca;
quid ita *æstivis* mensibus abundet, disquirit, & cum ei qui-
dam *Danubium* in nostra Germania quoad eandem propri-
etatem adjunxissent; de isto quidem negat, ac ostendit, e-
undem crescere *ex nivibus* circa *ver novum*, contra *Nitum* die-
bus *Canicularibus* (5) De Incrementis non *unius* fluvii *certi*;
sed de plurimorũ, & plerorumq; per Germaniã, Europã & c.

XVI. II. De Incrementis, juxta & *Exundationibus*. Rursus
de his non omnium *levisimis*, sed nec omnium *maximis*,
quarũ aliquot lege sis ap. Senecã: qui nominatim meminicit
Danubii & *Rheni*, atq; utriq; quoad hunc Effectum, causas
ad si.

l. 3. Q. N. c.
16.

l. 4. c. 1.

l. 4. c. 27.

adsignat *terra motum & sidera*. d.l. Nec non ap. *J. Jonston. d. adm.*
qui inter plures illam observat A. M. CLXIV. nec non *art. 7.*
M. C. XXCIII. in *Frisia*. In *Hollandiâ* illam M. CXVIII.
item quòd A. M. CC. XXCIIX. non procul à *Dordracò* o-
mnino oppressæ fuerint regiones maritimæ; ut & M. CCC.
XXI; denique quod A. MDXXX. tam prodigiosa extiterit
aqua in *Hollandiâ, Frisiâ, Brabantiâ* ac *Flandriâ* ut XL. inte-
rierint *Parochiæ*. Postremò in M. Britannia illam ex Thuano
A. MDCIV : ubi mare X. fere *miliarium* spatiò liberè ex-
currit: quod an optandum, ut fiat hodie? enim verò non
optandum !

CAUSSARUM INQUISITIO ET RECENSIO.

I. De voce *inundationis & exundationis*, item de termino
caussalitatæ in antecessu pauca monebim9. Notione propri-
â & formali inundatio (de exundatione res clara) *fluviorum*
sive amnium est. Nisi *grammaticè* accipere vocem velis: quâ
ratione *inundatio* etiam erit, quando continuæ pluvix sive
nimbi, aut ipsæ *fractiones nubium* in aliquem inciderint tra-
ctum. Immo ita verbum *Inundare* bifariam capi potest; vel
in genere naturæ, uti loquuntur, vel *in genere rorum*. Priore
significatu *fluvii* dicuntur *inundare*, posteriore nunc *Deus*
nunc *homines*, sive agros sive urbes. Propriè aliàs voces si
sumantur, vi *compositionis & connotati* altera ab altera dif-
fert. *Exundatio* dicit terminum à quo, fluvium puta, ex quo
undæ seu aquæ ultra aut supra ripam transiliunt : *Inunda-*
tio terminum ad quem, puta agros, urbes, oram &c. ad quæ
ex alveo transiliunt.

II. Vocantur *Causse* Inundationis *Deus, sidera, pluvix,*
nives: *vulgari* loquendi usu. Aliàs quis ita philosophetur.
Effluxus aquæ, loquendo absolute non sub hypothesis, con-
tingit. Is causam externam proximam *Incrementa* habet,
quæ plus affectant spatii, undâ volvente undam. Ubi efflu-
xus *naturalis* est, ratione motus sui & principii, non minus
ac ipsa *res aqua* sc. *naturalis* est. Incrementorum etiam *caussa*,
simpliciter spectata, merè *naturalis*; puta accessio pluris a-
quæ. Veruntamen *Effluxus hic & nunc* variat quoad remo-
tas atq; externas *causas* suas. Verum n. non nunc verlamur
in

in agro metaphysico, sed physico. Itaq; misso rigore, sequamur *Usum*, loquendi magistrum.

III. Causæ Exundationum possunt esse *physicæ*, possunt esse *præternaturales* sive supernaturales. *Physicæ* puta, quatenus præcise *supernaturalibus* opponuntur: *Physicæ*, quatenus idem sunt quod *reales*, & *moralibus* opponuntur: *physicæ*, quatenus idem sunt, quod *ex scientia Physicæ depromptæ* concludendi rationes. Super seu præternaturales & ipsæ suos habent *gradus*. Quò referes fortean istas exundationes, quæ *ex fractione nubium* emergunt.

IV. Non disputabimus de causa *strictè physicâ et morali*, in ordine ad hunc effectum: cum primis quatenus ad Deum, extraordinariè hîc influentem, applicandum. Videtur tamen dicendum, hominem aliquando posse esse causam *moralem*; Deum semper esse causam *physicam*: nisi affirmare velimus, eatenus quoq; fieri causam *moralem*, quatenus diabolo ad influendum aliquid forte *indulgere* posset. De homine res certa: v. g. qui non providè circumvallat aggere amnes cum debet, cumq; potest, is Inundationis agrorum *causa moralis* est. *Ditbmar si*, si verum est, quot de iis narratur, cum sponte aliquando lacus suos, et piscinas, ad defendendum se & agrum suum adversus hostilem manum, recluserunt sive aperuerunt, *causa moralis fuerunt Inundationis*, laxè ita dictæ &c.

V. Cæterùm *Physicæ & Astrologicæ* causæ ut multæ sunt, & pro particularibus circumstantiis insigniter variant; ita seorsim, idq; exquisitè in foro suo ponderandæ singulæ, tùm verò in communi quoad hanc theoriam utræq; *conjungendæ* sunt: quippe quæ effectum etiam conjunctim producunt.

VI. Primò quidem, partim ex astronomiâ positus cœli examinandus, partim è Topographia loca ipsa contimplanda sunt: v. g. sub quâ *elevatione* poli, sub quibus *signis*, aquosis an secus; sub quibus *domibus* cœlestibus sita sint, &c. Quin ipsum *Solum* etiam: depressum an magis editum sit; *fluminosum* an minus. Ita Seneca monet: *Germaniam, Galliamq; & proximè ab his Italiam abundare fluminibus; contra paucos in inferiore*

l. 1. c. 6.

inferiore Africâ esse fontes. Ipse fluvius in se: quara agnoscat in recessu originem, quale mfontē; fortis sit & celer cursu, an minus. Quot & quales recipiat aliundè sive amnes sive rivus. Ipsa Exundatio: quanta sit; tum quâ anni parte contingat: sub quâ tunc vivamus mundi revolutione, sub quâ planetarum; sub quâ eorundem conjunctione, cum majori, tum minori. Majori, ubi sc. percurruntur signa Zodiaci, ut sub primi conventûs initium conjunctio fiat planetarum, quarum 7. numerantur à mundi conditu, quarumq; ultima superiori anno hujus seculi 1623. in leone facta est; observante etiam J. Jonstono in admir. Sub quibus aliis cœli aspectibus versemur, maxime sub quibus signis harmonicis; verbô, sub quâ constellatione.

VII, Aliquando causa alicujus exundationis *obstructio fluminis* est, quâ in imo glacies sistit aquæ cursum. Aliquando vehementiores *venti*, qui ostium impellunt, ac fluctus extra alveum convertunt. Ita Sen. inter causas, cur *æstivo* tempore flumina crescant, & hanc allegat: *Tertia, inquit, est, si crebrioribus ventis ostium ceditur, & reverberatur fluctu, amnis restitit, (forte resistit) qui crescere videtur, quia non effunditur.* aliquando *nivis copia* resoluta, solitariè: aliquando *torrentes, nimbi & pluvia*, solitariè: aliquando *junctim* utrumq;. Quandoq; *terramotus*, qui (Senecæ verba sunt,) *ignes emittit, Insulas erigit, veteres amnes introrsus convertit, novos exprimit Sæpè motu terrarum, pergit, itinera turbantur, & ruina interscindit aquas &c.* Ubi quod ille de novo ortu fluminum, idem nos de *inequalitate* eorundem affirmamus. Pergit d. l: *ut in corporibus nostris sanguis cum percussa vena est, tamdiu manat, donec omnis effluxit, &c.* Substituimus nos, aut addimus; *ruptis terræ poris*. Item; *nova atq; major vis aquarum*. nec hoc infrequenter contingit *diebus hibernis*. Ita Seneca refert, *Pompejas campania urbem, diebus hibernis consedisse terræ motu: quandoq; ruptio pororum, & reclusio fontium; quæ ex terræ motu resultat.*

VIII. *Causæ* hæ propiores aut proximæ, non per se absolutæ, solitariæ aut *primæ*: nam istæ in *astris* hærent. Quæro n. unde ille compulsus & flatus pertinacium *ventorum*? unde tantæ *nives*? tam subita earundem *resolutio*? tam assidui *nimbi*? ille *terramotus*? illa *pororum ruptio, & canalium reclusio*? ab efficaci sc. in-

B

fluxu

c. 4.

l. 3. c. 26.

l. 6. c. 1.

l. 3. c. 11.

c. 15.

l. 6. c. 1.

l. 6. c. 26.

fluxu siderum. Ita Seneca in hac causâ: *Quarta, inquit, ratio siderum: Hac n. quibusdam mensibus magis urgent flumina, cum longius recesserunt, minus consumunt, &c.*

l. 5. de Orig. rerum.

de Orig. sent.

IX. Omnino, à sideribus rerum sublunarium, maximè elementorum, ac seorsim aquarum, pendet alius aliusq; status; id quod vel illustri exemplò docet *fluxus atq; refluxus maris*: què nequicquam oppugnat *Andr. Libavius*; ideò scribens, *hoc evenit; ut omnia pleniluxiò maria purgentur, non quod Luna tractio sit caussa, sed spiritus, qui interim in subterraneis collectus sursum contendit &c.* Nequicquam *Thomas Lydiatus* Anglus, qui duntaxat concedit, magis moveri posse ob Lunam mare; cæterum absolutè & per se hunc effectum igni subterraneo transcribit. Nempè cum cordatis *astrologis*, nominatim quoq; cum *Præcl. nostro Phys. Prof. Dn. Sperlingio* censemus, ex accuratâ indagine juxta & observatione; si altero oculò coelum, alterò terra aspiciatur, tempestates, seorsim etiam aquarum vicissitudines & affectiones, certò satis tum præsciri tum prædici posse, nec ratione sui unquam fallere aut falli *astrologiam meteorologicam*; quicquid sit de genethliacâ. Sanè diluviū illud, quod in Syriâ contigit, A. 109. astrologū *mahumedanum* prædixisse legimus; argumentò *conjunctionis omnium planetarum, exceptò Saturno, in signo piscium*, referente *Joh. Jonstano*.

Admir. art. 7.

Judicium ad præsens thema, & Dictorum applicatio.

I. *Digitum Dei* hîc subfuisse non ambigendum. *naturam* tamè præterire cæcò impetu non placet: Solet sanè Deus gloriosus punire etiam per naturalia nec id negabim⁹, voluisse præmonere seculum de majoribus pænis, sive futuris sive instantibus. Et quid? facilis utiq; esset, volente Deo, perruptio contendentium barbarorum per ipsam poloniam, aut aliam regionem in Germaniam matrem, instar eluviei, quò firmaretur illud triviale: *multa aqua multi populi*. *Præmonere* dico: namq; et iâ res naturales significare quid divinitus posse, palàm est &c.

II. Certum, quod exundationes nostræ non omnium minimæ: quandoquidem hominum memoriâ, ac pro locorum diversitate inde à seculo & amplius non tales factæ, testibus relationum documentis suprâ adductis: enim v. nec omnium maximæ, sed mediocres.

III. Posset

III. Possset hîc quis differentias *topographicas* singulorum locorum, quâ terræ indolê, quâ positum & respectû cœli, nec non circumstantias *astrologicas*, quâ distinctos siderû aspectûs illis ipsis diebus, quibus exundatio contigit, evolvere: verûm id propositû nostrû nō fert, nec pagina ferret.

IV. Certum tñ. quòd *differant* loca. v.g. In *Hollandiæ* provincia pars septentrionalis, quâ spectat meridiem, crebris interfusa lacubus est. Unde & *Waterland* incolis audit &c.

V. Certum, quòd fluviorum alii in alios influant. v. g. *Albis* noster, sicut ex 121. fontibus, quemadm. docent, nascitur, ita eidem se jungit *Elister*, *mulda*, & is diversis rursus locis & brachiis; *Egra*, *Sala*, ex marchia deniq; *Svevus* (die *Sprew*) &c. *Sala*, qui in *Variscia* oritur, & per *Thuringiam* transit, amnis *Unstrutt* (cum quo & ipsa *Vipera* coit), *Elister*, *Orla*, *Koda*, *Illmus*. *Viadro*, qui ex fonte prodit *Moraviæ*, multi tum *rivi* tum *amnes*; puta *Isala*, *Bobra*, *Nissus*, *Wartba* &c. *Rbeno* *Neccarus*, *Mœnus*, *Mosella*, *Lupia*, &c. In *Galliis* secum trahit *Rodanus* velocissimus tardissimum *Aram*, & *sequana* matronam devehit.

VI. Certû, quod *Albis* hîc noster *Wittenbergæ* M. Jan: sub primâ exundationem suam, (ita constanter creditum est) in imis fundi *glacie* constrictus fuerit ac præpeditus.

VII. Certum, quòd *vistillus* in *porussia* ad *Dantiscum* *ventis* vehementioribus coarctatus fuerit & compulsus: cui, nisi fallor, applicare tunc poterat, quæ suprà ex *Senecâ* citabamus.

VIII. Certû, quòd tû temporis frequentarint *terramotûs*; vel teste *basilæâ*, de quâ suprà: sed & auditæ *Argentorati* sût percussiones ac fragores.

IX. Certum, quòd hieme superiori fermè ubiq; locorû *laplæ copiosissima nives*; nec non alicubi grandes iiq; . continui nimbi. ita de *Tigri* suprà referebam, illû triduali cum primis pluviam accrevisse, & inde exundasse.

X. Quod *sidera* attinet, certissimum est quòd hîc cum ad producendum effectum, tum ad informandum astrologicum *judicium*, non sufficiat unicus fortè *aspectus*: quin potius *evidens effectus evidentem arguit causam*. Et v. possset hîc quis beneficiò *Ephimeridum* repetere ætates superiores, ac adeo retrolegere seculorum revolutiones, nominatim illos quoq; annos, quorum supra mentionem fecimus: ut dispiciat ita, num fortè, quando similes contigerunt inundationes, similes quoq; cæli extiterint causæ. Quod si, ut ut talibus aut longè evidentioribus cæli causis, talis effectus secutus nusquam est; fatebimur, inundationes nostras à cælo ejusq; naturali influxu excitatas non fuisse.


XI. Cæ-

XI. Cæterum, quod spectat planetam *Chronocratorem* hujus anni & superioris hiemis; de eo non omninò convenit astrologis, ob diversas hypotheses & considerandi rationes. Alius ♃ constituit in sagittario, signò secundum naturam & proprietates ac influxum ei omninò harmonicò: alius ♄, eà quidem ratione, quatenus cum alio Chronocratore in æquilibrio constituatur: alius ♃, alius ♄, alius deniq; ♄. In eo omnes conveniunt, quòd ♄ ponderosissimus planeta, sive dominium sive plura, quod vocant, vota obtinuerit.

XII. Itaq; menses *hiemales*, cum primis *Decembrem & Januarium*, quà cœli statum, quà aspectus, quà accidentia insigniora, tum generali tum speciali judiciò exinde evolverunt. M. *Decembrem* ita proponunt; quòd tum ♄ versetur in *cancro*, signo aquoso, & quidem in *destrimento* suo; *domo* item ad istum effectum perquam apta: quodq; præterea stimuletur aliorum planetarum aliquot cum ♃ tum ☐ omninò *aquosus*, ac id cum primis in locis profundioribus. M. *Januarium* ita; quòd tum ♄ versetur in *aquario*, stipatus aspectu ad ☐. Unde disertè non nemo cœlum *udum*, *terra motus*, locis cum primis ad id dispositis, immo perpetuos *nimbos & turbones* secundum lunæ phases, arguit ac prædicit. M. *Februarium* ita: 25. d. plenilunium, sub ultima ☽ phase. ☿ ac *Veneris* in ☿ *Venus* ipsa retrograda: nec non planetarum retrogradorum varii invicem aspectus △ & ☐; item ☿ in signis *aquosis*. M. *Martium* ita: ♄ in ☽ in ☿: ex quà cœli dispositione ita legimus commentatos: ☽ & ♄ non parum *damni agris minantur, per inundationes fluviorum*. In eo peccant, quòd non nisi obscure rem proponunt, quin involvunt illi artifices, fortè, ut ne à quovis intelligantur. cæter. multa hîc observarunt alia: v. g. Non nemo ex ♄ & ♃ in ♄, non procul à M. corde, *meteora ignita*, quin *Cometam*, qualis A. 1604 ad ♄ & ♃ in ♄ fulsit, colligit: quâ bene, nunc nò disputo.

XIV. Quib. omnib. positis, ut verbo nos nunc expediamus; *causâ* harum exundationum, post copiosissimas *nives*, putamus *ingressum* ♄ in ☽, *stimulatum* illò multiplici aspectuum & affectionum *cœlestium concursu*; cum primis quâ *illa* loca, quæ sita sunt sub ☽: qualis est ipsa nostra *Wittenberga*: ut mirari possis, quî non plus inde passa fuerit *damni*, quod & satis experti sunt illi, qui in themate *Nativ.* ☽ habent horoscopantem.

XV. Sc. non hîc invicè opponem⁹ tot illa & tã *distincta* sed *subordinabim.* in influxu adhuc effectum. h. e. verisimiliter illæ cœli cōfigurac. *ingressus* planet. in talia *signa*, illi *aspectus*, ♄ & ☿ *planetar.* & *signorū*, nec nò *stellar fixar.* produxerunt in *sublunar.* *terra motus*, *procellas*, *pluvias*, & *nimbos*, *nivis* copiosissimæ *maturas solutiones*. Ex ipsis terræ motibus, forte & aquarum pondere ac impulsu, potenter ruptipori, ac inde reclusi fontium canales. Sed nec cæteras superius tactas *speciales rationes singulor. locor.* quâ cœli *fitum*, quâ *Soli* indolē, quâ *fluvior. ipsor.* exclusas hîc volum⁹ *prohibet plura pagina.*



01 A 6640

ULB Halle 3
003 108 309




Sb.

VD 17







7. 109

B. V.
IONEM

trologicam;
ncrementa & Exundatio-
currentis c^o c^o LI. per superio-
ralliam, ac forte locorum alibi,
, caussas agnoscant natu-
nec ne?
ercitii gratiã
m Eruditis proponunt

ES HANNKE

ESES,
Et
S VICCIUS

ondens,
LESII.
n 26. Julii
matutinis
orio Minori.

ENBERGÆ
nneri, Acad. Typogr.
M. DC. LI.